



The Holy See

IOANNES PAULUS PP. II LITTERAE APOSTOLICAE **BEATAM MARIAM BEATA MARIA VIRGO SUB TITULO
«NUESTRA SEÑORA DE LOURDES»**
CONFIRMATUR PATRONA PRINCIPALIS DIOECESIS FOROMARTINIENSIS IN
ARGENTINA; EIUS VERO SPONSUS S. IOSEPH OPIFEX, PATRONUS SECONDARIUS Ad perpetuam rei memoriam.
– Beatam Mariam Virginem, venerabilem Christi Matrem, eandemque amabilissimam christianorum parentem
fideliumque praesidium, honorari, et laudari, et celebrari, id semper usque ab Nostra pueritia sollemne ac sanctum
habuimus, habebimusque: cultus enim erga Matrem tam sanctum certe in eius adorandi Filii honorem et laudem
redundat. Qua re, cum clerus populusque dioecesis Foromartiniensis Beatam Virginem Mariam sub invocatione populari
«Nuestra Señora de Lourdes» Patronam sibi praecipuam elegerint, ac beatum Iosephum opificem, eius Sponsum,
Patronum secundarium nominaverint; idque Venerabilis Frater Emmanuel Menéndez, Episcopus Foromartiniensis,
probaverit, atque praeterea petierit ut electio ac probatio a Nobis confirmaretur ad normam «Instructionis de Calendariis
particularibus atque Officiorum et Missarum Propriis recognoscendis, n. 30»; Nos, rata habentes quae Sacra
Congregatio pro Sacramentis et Cultu Divino, factis a Nobis facultatibus, gesserit, admotae expostulationi libenter
concedimus. Placet ergo Beatam Mariam Virginem Lapurdensem, seu «Nuestra Señora de Lourdes», quam populus
tenero filiorum amore prosequitur, Patronam principalem dioecesis Foromartiniensis haberet et invocari, beatum vero
Iosephum opificem, Patronum secundarium, cum iuribus ac privilegiis liturgicis debitibus. Contrariis nihil obstantibus. Quod
profecto, caelesti Matre intercedente, felix omnibus faustumque sit. *Datum Romae, apud S. Petrum, sub Anulo Piscatoris,*
die XXII mensis Martii, anno MDCCCCLXXX, Pontificatus Nostri altero. AUGUSTINUS Card. CASAROLI, a publicis
Ecclesiae negotiis © Copyright 1980 - Libreria Editrice Vaticana
